

1765, 1  
10  
DE  
TRIPLICI COGNITIONIS HUMANAE  
ADMITTENDO PRINCIPIO EXPERIENTIA,  
RATIONE ET TESTIMONIO

DISSERIT

ATQVE SIMVL  
VIROS GENEROSVM, NOBILISSIMOS, DOCTISSIMOS,  
ORNATISSIMOS

DOMINOS

1767  
I. DE HARTLIEB

MEMMINGA-SVEVVM

A. L. KOLVER

ZWOLLA TRANSYSELLANVM

A. F. BORNWASSER

ESTHONVM,

MOX ACADEMIAM RELICTVROS

IVSSV COLLEGII

QVOD

PRAESIDE

VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO

PAVLO IACOBO BRVNO

PHILOSOPH. DOCT. IN ACAD. IEN.

TEXT. SOCIET. SOD. ORD.

LIBERALIBVS EXCOLENDIS ARTIBVS OPERAM NAVAT


GRATVLABVNDVS PROSEQVITVR

VALENTINVS BENIAMINVS GLANDORFF

RIGA LIVONVS.

IENAE

EX OFFICINA HELLERIA MDCCLXV.



FAMILIARIS COGNITIONIS IN MANU  
ADHUC TENDO PRINCIPIO FAMILIARITATE  
RATIONE ET TESTIMONIO

DISCRETIONIS

ALIOQUE TENDIT  
VIROS GENUERAM MENTIS DOCTISSIMOS  
CANTONUM

D O M I N O S

I DE HARTLIEB

XXVIII - LXXXV

A. I. KOLVER

1782 - 1844

A. F. BORNWASSER

ESTRONVM

MOE ACADEMIAM BELLETRICORVM

1782 - 1844

1782

PLASSIDE

VNO CLASSENO DOCTISSIMO

1782 - 1844

PHILOLOGO DOCTO IN SVABIA

1782 - 1844

PHILOSOPHO DOCTO IN SVABIA

1782 - 1844

VALENTINVS BENJAMINVS CLAUDORF

1782 - 1844

1782

EX OFFICINA HELMUTHA HUGGERI

1782





§. I.



Notum est, quam plurimos Logicam scribentes tantum duo assumisſe cognitionis principia, vel plane reiecto testimonio, tanquam tertio, ſaltem in Logica omiſſo, vel ad experientiam relato. Operae igitur pretium me facturum eſſe credo, ſi oſtendo, diſtinguenda probe eſſe principia experientiae, rationis ac testimonii et minus commode testimonium experientiae ſpeciem haberi, atque bonam Logicam trium principiorum regulas tradere. Animum induxi de his agere, cum mihi celeberrimi Baumgartenii Acroaſis Logica in manus venerit, quam nuperrime edendam curavit cel. I. G. Toelnerus. In qua quidem praeter alia, diſtinctio principiorum cognitionis humanae, de qua iam alias meditatſus fueram, in principium experientiae, rationis, testimonii arriſere triaque capita hac ſuperſtructa diſtinctione, quae de ſingulis fuſiora tradunt. Habeas igitur qualemcunque commentationem Beneu. Lect. tanquam prologum horum capitum, in qua iſtorum diſtributio defenditur, ratioque datur, qua motus auctor Logicam Empyricam, ſtriſte dictam, Martyrocriticam diſvidenit et pertractauerit.

A 2

§. II.



## §. II.

Quae in experientia discernenda sint in exemplo primum videamus. Impulso sentiendi instrumento per obiectum externe positum, perceptoque deinde eo, quod sensibus obiicitur, propositio formatur, quae, quod organa affecerit, generaliter sistit ita, vt licet circumstantiae apponantur, tamen quod ad obuium casum indiuidualiter spectatum attinet, omittatur.

Si e. g. Barometro sub campana anthleapneumaticae posito Mercurius decidit, hanc habes experientiam. Mercurius Barometri sub campana collocati aere exhausto altitudinem mutat cadendo. In hac propositione, quae per experientiam cognoscitur, generatim exprimitur quod accidisse vidisti, quum hac nec alia anthlea hac nec alia campana vsus fueris.

## §. III.

Apperceptio per sensationem facta est *experientia* ex qua orta propositio (§. II.) vocatur *iudicium intuitiuum*. Adeo arcto vinculo haec duo inter se connectuntur vt saltem eruditus vnum ab altero distinguere debeat: et licet non distincte, tamen confuse in stupidissimo iudicium intuitiuum comitetur experientiam.

*Scholion.* Exemplum §phi praecedentis datum spectat experientiam externam cum qua internam, quae nititur sensatione interna, confundere noli.

## §. IIII.

*Cognitio intuitiua* est quam ipsae res suscitant, *symbolica*, quae mediante signo, cuius datur sensatio, oritur. Quidquid per experientiam cognoscitur, eius intuitiuam habemus cognitionem (§. II.) nec, quod symbolice cognoscimus, experimur (§. cit.)

## §. V.



## §. V.

*Ratio* est perspicientia nexus rerum ope syllogismorum. Cuiusmodi sint praemissae et ex quo fundamento verae habeantur hoc loco parum curamus.

## §. VI.

*Iudicia* per ratiocinium cognita vocantur *discussiva*.

## §. VII.

*Testimonium* est assertio cuiuslibet rei ab altero. Si res, quae adseritur est res facti *testimonium* stricte sic dictum oritur. *Testis* est auctor testimonii.

## §. VIII.

*Principium cognoscendi* est ratio cognitionis.

## §. VIII.

Quum omnis vel intellectualis cognitio e sensationibus oritur, et quum quotidie exempla cognitionis per sensationes haustae occurrunt; *experientia* (§. III.) est *principium cognoscendi*. (§. VIII.).

## §. X.

Percurras Psychologiam empyricam, quae quibusdam iactis experientis animae penetrantia perferatur, et Physicam, quae enumeratis, quas eruditi cum singulis hominibus communes habent, experientis, ad altissimas veritates varia ratiocinia nectendo assurgit. Aetas Mathematicorum scholas, qui obiectum pertractant, quod in omni rigore sumtum forsitan extra eorum cerebrum non occurrit mirificamque catenam innumerarum veritatum construunt. Et erit tibi *ratio* (§. V.) *principium cognoscendi* (§. VIII.).

## §. XI.

Sacrum codicem diurna nocturnaue manu, qui verfat, quaeque legerit in intimo pectore reposta tenet, interrogatus, quare assentiat dictis sacri Codicis, divinam



originem, quae ipsum mouerit, tuebitur. Est igitur legenti adfertio diuina ratio, quae fidem exitauerit; ideoque (paulum vniuersalius pronuncies) *testimonium* (§. VII.) est *principium cognoscendi* (§. VIII.). Eodem etiam modo, si legimus facta, quae acciderunt, haec credimus gesta esse, quoniam adferuere scriptores, quibus, vt moderate dicam, iniuicium esset fidem denegare.

## §. XII.

*Diuiditur* notio, si enumerantur conceptus sub illa contenti. Enumerati conceptus dicuntur *membra diuidentia*. Id, cuius respectu diuisio instituta est, vocatur *fundamentum diuisionis*.

## §. XIII.

Ex allatis (§. praeced.) definitionibus sequitur :

I. Diuisum membraque diuidentia disiunctiue posita esse reciproca, ideoque diuisum nec plus, nec minus complecti, quam omnia membra diuidentia sub disiunctione simul sumta.

II. Membra concidere non debere, sed sese excludere.

## §. XIII.

Cognosco. Instituatur conceptus diuisio (§. XII.) posito fundamento (§. cit.) ex quo petenda est ratio cognitionis, s. quotuplex est, quod me ad cognoscendam aliquam rem adducit? Experientia (§. III.) ratio (§. V.) testimonium (§. VII.) tanquam tria cognoscendi principia (§. VIII. X. XI.) triplicem exhibent rationem, qua quis rei alicuius cognitionem sibi indere potest (§. VIII.).

## §. XV.

Prolatam (§. praeced.) diuisionem, si secundum regulas, quas dedimus (§. XIII.) examinatur, instam esse, nostrum erit, vt iam probemus. Quod primum requisitum (§. XIII. num. 1.) scilicet diuisum reciprocum esse cum membris diuidentibus, etiam in diuisionem, de qua sermo est, cadat,





dat, ex eo liquet, quoniam tum quidquid est cognitio, respectu habito ad traditum (§. praeced.) diuisionis fundamentum, vel experientiae ope perspicitur, vel ex syllogismis elicitur, vel ob testimonium creditur, tum experientiae, rationi, testimonioque nomen principii cognoscendi (§. IX. X. XI.) merito tribuendum est.

§. XVI.

Sunt vero quod quidem altero loco (§. XIII. num. II.) erit probandum experientia, ratio, testimoniumque membra sibi opposita, quorum neutrum in altero continetur. Quod nec ratio experientiam, nec experientia rationem completatur, vel ex ipsis definitionibus (§. V. VII.) certissimum est. Quaeritur de eo potissimum (§. I.) an testimonium sit species quaedam experientiae, cui prius subordinandum non e regione, vti fecimus, collocandum sit. Variis vtemur argumentis, vt demonstretur experientiam, testimoniumque maximopere differre, nec inter se debere confundi.

§. XVII.

Experientia non nisi iudicia intuitiua subministrat (§. III.). Si quis rei testis est (§. VII.) diiudicatque praemissas syllogismi veras (§. VI.), cui sententiae deinde nos adstipulamur; testimonium quodammodo ipsa iudicia discursiua (§. VI.) efformauit.

§. XVIII.

Testimonio fidimus, si alterum dicti cuiusdam auctorem cognoscimus. Suam quidem alter mentem signis declarauerit necesse est. Si enim ipse rem intuendam exhibuisset, crederetur tanquam experientia. Quoniam igitur testimonium symbolice expressum esse debet, atque symbolica cognitio et experientia minime coincidunt (§. IV.) testimonium experientia esse nequit (§. cit.).

§. XVIII.

At collatis ipsis definitionibus quantum intersit inter testimonium, experientiamque intelligetur. Ratio cognitionis



nis experientia duce acquisitae, in his latet verbis: „*est verum, etenim expertus, intuitus sum.* „ At alteri qui credit ita secum loqui videtur: „*est verum etenim testis fide dignus dixit.* „ Ast: expertus sum et alter in ea est, sententia mihi quidem rationes perquam dissimiles videntur.

§. XX.

Sunt forsân, qui nostram sententiam amplecti recusent, quoniam testimonium experiri debemus, ideoque illud ad experientiam referendum est. Haec accipe contra. Licet fieri possit, vt quod alter hanc sententiam suam faciat ex experientia intelligendum sit; tamen ideo cognosco, atque pro vero habeo, quoniam assensum praebuit: deinde sollicitus ex quo colligatur, hanc sententiam esse alterius. Nam, vt hoc exemplo vtar, sacrum codicem euoluenti mandatumque de persecutoribus odio non prosequendis legenti mandatum praestandum esse videbitur. Est enim diuina voluntas. Credit igitur non quoniam expertus est istam veritatem, sed quoniam ipse inculcauit Deus implerique iussit. Iam vltorius Bibliorum lector progreditur ad quaestionem a priori probe distinguendam, qui certus esse possit, diuina haec esse verba? Quum igitur in cognitione, quae per testimonium acquiritur, primum acquiescimus in autoritate dicentis, deinde eam resoluimus quaestionem quam ratione pateat alteram hanc sententiam amplexum fuisse, eruemus modos, ex quibus innotescat alterum hanc, vel illam sententiam fouisse. Sit fides alteri habenda. Qui igitur certiores siemus, sententiam, de qua sermo est esse alterius. Quod alter assensus fuerit scimus, vel ex eo, quoniam tertius hanc alterius esse sententiam declarauit, aut ex ipso altero. Si priorem fingis casum testimonium iterum nititur testimonio, quod secundum logicorum regulas examini subiciatur. Dicuntur, quae legimus in sacro codice diuinitus inspirata. Quod vero a Deo sint profecta, tum ex aliis rationibus, tum ex testimonio scriptorum sacrorum aliorumque probandum est. Re-  
rum

rum gestarum scriptoribus fidem assignamus, si per alia testimonia tum libros ab historicis confectos esse notum est, tum scriptores dexteritate polluisse atque sinceritate. Si tertius in auxilium vocandus non erit, qui id alterum putasse extra dubitationis aleam ponat; vel audiimus ipsum coram loquentem, vel per alia signa sententiam percepimus. Et quatenus signa oculis, aut auribus percepta, eatenus dici potest nos expertos esse testimonium. Ita Cumaea Sibylla apud Virgilium (\*) euenturum esse credidit, quod Heroi cecinerat. Fidebat enim vati ipsam agenti. Sed dici potest experta esse sese agitatum, quum

Ante fores subito non vultus, non color vnus,  
Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum  
Et rabie fera corda tumens maiorque videri,  
Nec mortale fonans.

(\*) Aeneid. Lib. VI.

### §. XXI.

Quidam Logici, membra diuisionis esse debere contradictorie opposita, annunt, alii in contrariam eunt partem. Nos arbitrati quamlibet trichotomiam commode ad dichotomiam posse reduci, de grauioribus disputaturi, horum Logicorum in gratiam distinctionem principiorum cognitionis experientiam, rationem et testimonium ad distinctionem, in qua duo tantum membra opponuntur, reuocabimus. Quam quidem hanc habet. Cognosco. Ratio cognitionis meae ergo vel latet in aliena cognitione inde testimonium, vel in mea ipsius. Et quidem vel quia expertus sum, vel quia per ratiocinii nexum perspexi.

### §. XXII.

Quum experientia (§. III.) ratio (§. V.) testimonium (§. VII.) principia sint cognoscendi (§. VIII. X. XI.), quae ad regulas diuisionis (§. XIII.) examinata tum cum principio cognoscendi reciproca sunt (§. XV.) tum sese excludunt (§. XVI.)

B

XVI.)



XVI.) ita, vt plane differant experientia testimoniumque (S. XVII - XX.) allata principia *distincta distinguerendaque* esse patet.

**I**am in eo sum vt me ad VOS, VIRI GENEROSISSI-  
ME, NOBILISSIMI, FAVTORES atque AMI-  
CI HVMANISSIMI SODALES NOSTRI MERITIS-  
SIMI conuertam. Sane nunquam hoc officio exoptatus,  
iucundius, dulcius et denique acceptius mihi mandari po-  
tuisset VOBIS animum meum monstrandi deuinctissimum  
simulque affirmandi, quod tempus et occasionem VOBIS-  
cum verfandi ego inter horas vitae meae referam prae-  
stantissimas. Quid? quod dicam de colloquio VESTRO  
amico in conuentibus nostris? Quid de rerum diuinarum  
humanarumque acutissima discussione? Quid de VE-  
STRIS profectibus fere in omnibus litterarum disciplinis  
et tandem de VESTRA humanitate, comitate, amicitia et  
aliis virtutibus insignibus, quae VOBIS magnae laudi du-  
cuntur. Sed quid iuuat, si merita eximia VESTRA in  
memoriam reuoco nostram? Verum enim vero VESTRA  
dulcissima consuetudine vtendi nobis non amplius datur  
facultas et praesentiae VESTRAE iactura non in societate  
nostra reconcinnatur. Tristis tantum erit recordatio VE-  
STRVM. Properatis iam iam nostram relinquere Sala-  
nam et amicos, qui vos afflicti intuentur. Iam spe fu-  
turatorum praemiorum amplissimorum adducti tenditis in  
patriam. Eheu! non amplius videbimus vos inter nos  
frequentes. Non amplius audiemus vos veritates mo-  
mentosas et verae religionis dogmata in collegio nostro  
strenue stabiliens. Non amplius VESTRI animi sinceri  
et honesti amore, quem etiam in medio actus disputato-  
rii aut flectendo nos in VESTRAM sententiam aut falsi  
conuinciendo, significastis, vti possumus. Fuistis, ne mul-  
ta dicam, decus et ornamenta nostri confessus, in frequen-  
tia reliquorum conciuum optimi amici et in auditoriis  
diligentissimi. Sit igitur nobis licitum, vt res praesagiamus  
secun-



secundas in patria, cum iam hic partim multis exercitatio-  
nibus VESTRUM acustis studium, partim per solidam  
eruditionem ingenia ostendistis summa. Quanto gaudio,  
hilaritate et quanta serenitate sollicitus parens et dulcissima  
mater obuiam ibunt filio bene morato? Quanta exultatio-  
ne atque osculatione consanguinei, sorores, fratresque exci-  
pient iuuenem amantissimum et denique quantos honores  
ac praemia parabit vobis patria exoptata. Praeuidimus  
enim quid fundamentis rite iactis in futurum tempus cun-  
cti de vobis sperare possint. Attamen AMICI PERDI-  
LECTI! nolite quaecumque nostrum adhuc Musis litantium  
obliuisci. Recordamini etiam felicissimae VESTRAE di-  
ligentiae mercede frui amicorum relictorum. (nam iure  
gloriae praemia mox esse vobis collata aestimant) qui  
singularem VESTRAM in ediscendis optimis litteris indu-  
striam et noctam cognitionem pie colunt et ex quorum me-  
moria neque tempus, neque absentia vos delebit, qui  
vsque ad vltimum vitae halitum semper iisdem erunt erga  
vos animis ac fuerunt, cum adhuc nostri fueritis. Pro-  
ficiscamini fauste, vota pia nostra sequantur vos vbique.  
Numen, quod vocamus summum, comitetur vos in itineri-  
bus, auertat omnia, quae impedimento et detrimento vo-  
bis esse possint. Et si fessis larum penatumque limina of-  
culabimini saxit Deus omnium terrarum moderator, quae  
eius est gratia et benevolentia, vt omnes dilicias VESTRAS  
inueniatis sospites atque incolumes. Largiatur vobis  
idem Deus ter optimus maximus omnem, quae in mortales  
cadere potest felicitatem, et quidem ita, vt metam,  
quam vobis fixistis tuto et ex animi voto consequamini.  
Eiusdem sapientia VESTRIS laboribus, studiis atque conatibus  
adfit, quos in posterum in suae gloriae illustrationem et alio-  
rum hominum emolumentum suscipietis. Valete igitur  
AMICI longe DIGNISSIMI! fauete, amate et retineatis  
nos recenti memoria, quam apud nos nulla obscurabit  
obliuio. Dabam Ienae xxviii. Augusti. MDCLXV.





*NOMINA SODALIVM*

EA SERIE, QVA ALBO NOSTRO INSCRIPTA  
LEGVNTVR:

- V. B. GLANDORFF, Riga-Liuonus.
- G. MVMMSEN, Sonderburgo-Slesuicenfis.
- I. A. DE BREMEN, Bremenfis.
- I. CLAVSEN, Sonderburgo-Slesuicenfis.
- C. F. BRODERSEN, Hufumo-Slesuicenfis.
- I. DOMIN. HOFFMANN, Hamburgenfis.



*Jena, Diss., 1764-65*

VD 18


ULB Halle  
005.360 706

3









1765,1  
10

DE  
PUBLI CI COGNITIONIS HVMANAE  
ADMITTENDO PRINCIPIO EXPERIENTIA,  
RATIONE ET TESTIMONIO

DISSERIT  
ATQVE SIMVL  
SOS GENEROSVM, NOBILISSIMOS, DOCTISSIMOS,  
ORNATISSIMOS

DOMINOS  
I. DE HARTLIEB

MEMMINGA-SVEVVVM  
A. L. KOLVER

ZWOLLA TRANSYSELLANVM  
F. BORNWASSER  
ESTHONVM,

MOX ACADEMIAM RELICTVROS  
IVSSV COLLEGII

QVOD  
PRAESIDE  
VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO  
AVLO JACOBO BRVNO

PHILOSOPH. DOCT. IN ACAD. IEN.  
TEVT. SOCIET. SOD. ORD.  
BERALIBVS EXCOLENDIS ARTIBVS OPERAM NAVAT

GRATVLAVNDVS PROSEQVITVR  
ENTINVS BENIAMINVS GLANDORFF  
RIGA LIVONVS.

IENAE  
EX OFFICINA HELLERIA MDCCLXV,

